

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2527

**Auteur(s) :** Eudes du Pont, écuyer, fils de Guillaume du Pont [autre]

**Bénéficiaire(s) :** Coutances (hôpital-Dieu)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1294, avril

**Action juridique :** vente

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Vente faite à l'Hôtel-Dieu de Coutances par Eudes Dupont ; écuyer, moyennant la somme de 24 livres 16 sous tournois qui lui sont payés sur les deniers aumônés par Me Bernard Le Bouteiller, chanoine, pour son obit, d'une rente annuelle de 14 boisseaux de froment, deux quartiers d'orge et 10 sous tournois à Coutances.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° CXXV, p. 120-122.

## Dissertation critique

Entre les 18-30 avril 1294 ou entre les 1-2 avril 1295 : Pâques tombe le 18 avril en 1294 et le 3 avril en 1295.

Texte établi d'après a

Sciant omnes presentes et futuri, quod ego, Odo, dominus de Ponte, scutifer, filius et heres Guillelmi de Ponte scutiferi defuncti, vendidi et concessi finaliter et omnino dimisi in perpetuum... priori et fratribus domus Dei Constanciensis quatuordecim bussellos frumenti, duo quarteria ordei, decem solidos turonensium annui redditus, quem redditum ego habebam et percipiebam annuatim, videlicet dictum frumentum et ordeum ad festum Sancti Michaelis et dictos decem solidos ad nundinas Montis Martini, super terris quas de me tenent in parrochiis Sanctorum Petri et Nicholai Constanciensis homines inferius nominandi. De quibus redditibus, Ricardus de Bella Valle debet duo quarteria ordei, de una pecia terre, sita supra burgum, in parrochia Sancti Petri Constantiensis, continente tres virgatas terre vel eocirca, inter terram Johannis Orient et terram heredum Nicholai Leconte a lateribus et clausum Gileberti Trufaut et clausum meum a capitibus. Ricardus dictus Le Gopil et Gaufridus et Guillelmus, filii et heredes Henrici dicti Fabri et Agnes soror dictorum Gaufridi et Guillelmi, et Johannes Ledesne debent de frumento supradicto duo quarteria et predictos decem solidos, videlicet dictus Ricardus Le Gopil, unum quarterium frumenti predicti et quinque solidos de predictis decem solidis, super sex virgatis terre sitis in parrochia Sancti Petri predicta, apud La Faverrie, in tribus peciis, quarum prima est mesnagium dicti Ricardi, quod continet cum suis pertinenciis duas virgatas vel eocirca, et est situm inter doitum quod dividit parrochiam de Nicorp et terram Johannis Le Desne a lateribus et inter aquam Sole et cheminum per quod itur de ponte Sole ad molendinum de Visquet a capitibus. Secunda pecia terre est in uno clauso, sito inter clausum dictorum prioris et fratrum et terram Gaufridi le Petit a lateribus et inter aquam Sole et viam per quam itur ad clausum predictorum prioris et fratrum, et continet duas virgatas terre vel eocirca. Tercia pecia est in uno alio clauso, sito inter doitum supradictum et clausos

predictorum Gaufridi et Guillelmi a lateribus et inter viam per quam itur de Ponte Sole apud Visquet et terram Guillelmi Fabri, et continet duas virgatas terre vel eocirca. Item predicti Gaufridus, Guillelmus et Agnes soror eorumdem debent tres bussellos et dimidium busselli frumenti supradicti et quatuor solidos et quatuor denarios, de decem solidis supradictis, super una acra terre sita apud La Faverrie, in duabus peciis, quarum prima est sita in uno clauso, inter viam per quam itur de molendino de Visquet ad clausum dictorum prioris et fratrum et terram Johannis Lagnel a lateribus, et inter viam per quam itur de Ponte Sole ad molendinum de Visquet et clausum qui fuit quondam Henrici de Coesello a capitibus, et continet tres virgatas terre. Secunda pecia sita est apud La Faverrie, in uno clauso, inter clausos predicti Ricardi Le Goupil a lateribus et viam per quam itur de Sauceio ad molendinum de Visquet ex uno capite, et continet unam virgatam terre vel eocirca. Johannes Le Desne de frumento supradicto, debet dimidium busselli et octo denarios, de supradictis decem solidis, super unum mesnagium, cum suis pertinenciis, situm apud La Faverrie, inter mesnagium predicti Ricardi, dicti Le Gopil, et mesnagium Gaufridi Le Petit a lateribus et inter aquam Sole et viam per quam itur de molendino de Visquet ad clausum predictorum prioris et fratrum, et continet dictum mesnagium dicti Johannis unam virgatam terre vel eocirca. Item Yvo de Granvilla debet, de quatuordecim bussellis frumenti supradicti, sex bussellos ad mensuram Constanciensem de sex acris terre site in parrochia Sancti Nicholai Constanciensis, apud Mesnillum-Bouteril, inter doitum de Beursart et terram dictorum prioris et fratrum a lateribus et boscum Vicecomitis et clausum predictorum prioris et fratrum, qui fuit quondam Rogeri de Cantulupi a capitibus ; percipiendum, habendum et reddendum frumentum supradictum, unacum decem solidis supradictis, de cetero imperpetuum, predictis priori et fratribus et eorum successoribus, ad terminos antedictos, singulis annis, per manus hominum predictorum dictas terras tenentium aut heredum suorum, seu per manus quorumcumque tenentium dictas terras, libere, pacifice et omnino quiete, sine reclamacione mei aut heredum meorum, quas terras supradictas eisdem priori et fratribus et eorum successoribus specialiter obligavi, ad suam plenariam justiciam exercendam pro redditibus supradictis, sine contradictione alicujus, nisi sibi ad terminos antedictos libere et pacifice redderentur. Et ego predictus Odo et mei heredes tenemur de cetero predictis priori et fratribus et eorum successoribus hec omnia predicta garantizare, deliberare et defendere contra omnes bona fide et ipsos in omnibus observare indempnes, vel alibi in nostra propria hereditate, ubicumque sit, valore ad valorem excambiare, si forte garantizare et defendere non possemus, salvo jure domini capitalis. Et juravi, tactis sacrosanctis evangeliis, hec omnia predicta me fideliter servaturum, et quod contra premissa de cetero per me seu per alium non veniam ullo modo. Pro hac autem vendicione, concessione et dimissione taliter a me factis, predicti prior et fratres viginti quatuor libras, sexdecim solidos turonensium michi dederunt et persolverunt in peccunia numerata, quam peccunie summam ipsi habuerunt ex dono viri venerabilis et discreti, domini Bernardi Buticularii, canonici Constanciensis, ad suum obitum faciendum annuatim in domo Dei predicta. In cujus rei testimonium perpetuum et munimen, presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum est hoc anno gratie M° CC° nonagesimo quarto, mense Aprili.